SYNODVS PROVINCIALIS
CÆSARAVGVSTANA
S.D.N. PAVLO QVINTO.

Beatiſsime Pater.

MEmores Chriſtum Dominum, qui nõ diſſenſionis, ſed pacis eſt Deus, pacem ſuam dediſſe, & reliquiſſe diſcipulis nihil habuimus antiquius in hac Prouinciali Cæſarauguſtana Synodo congregati, quam vt populos ſolicitudini, & curæ noſtræ creditos, ea, quę pacis ſunt, cuſtodire niteremur, & ad Chriſti pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, quantum in nobis eſt, iter panderemus. Quod vt commodiùs à nobis pręſtari poſſet, diligentiam omnem adhibuimus controuerſijs componẽdis, quæ hanc Prouinciam Cæſarauguſtanam, diſſolutò pacis vinculo, diſtrahere, & ſtudia in contraria ſcindere potuiſſent. Vnã tamen præ cæteris diuturnam, ac inueteratam, & cum magno populi ſcandalo contentioſè nimis agitatam componere minimè vnquam potuimus, licet nullum non mouerimus lapidẽ, nè ad hunc populus offenderet. Hæc inter Metropolitanam noſtram Eccleſiã, & Collegiatam Beatæ Mariæ de Pilari Cæſarauguſtæ vulgò dictam iam diu vertitur ſuper præeminẽtijs: Prætendit enim Capitulum huius Collegiatæ Capitulo Metropolitanæ nõ ſolùm æquiparari, immò etiam quodammodo præcedere, ex eo vel maximè, quòd templi ſui antiquitatem eam eſſe affirmet, quòd ante omnia alia Chriſtiani nominis ſtructum à Beato Iacobo Apoſtolo ibi ſit, vbi ei ſuper columnam marmoream ipſa Sanctiſsima Dei genitrix Maria Virgo apparuiſſe traditur. Addit quoq; ibidem conſtitutam ab eodẽ Apoſtolo Epiſcopalem Cathedram, in qua ipſe primus ſedit Cæſarauguſtanæ Ciuitatis Epiſcopus, ob eamq; cauſam iura Cathedralis tunc Eccleſiæ ſuæ acquiſita, etiam nunc ſibi integra reſeruari. At verò Capitulum Metropolitanæ, quid priſcis

illis

illis temporibus de Collegiata hac fuerit nihil solicitum, totamq; eius rei historiam piæ credulitati relinquens præsenti rerum statui innititur, necnon etiam authenticis documentis ostendit, post recuperatam à Saracenis ab Alphonso primo huius nomine Aragoniæ Rege Cæsaraugustam, anno Dñi millesimo centesimo decimo octauo, statim ab eodem Rege Basilicam Sancti Saluatoris, quæ nūc Metropolitana Sedes est eiusdem Ciuitatis à Mahometanis anteà occupatam in pristinam Cathedræ Episcopalis dignitatem fuisse restitutam, & Sede Apostolica approbante, multis Ecclesijs donatam, & auctam; quarum vna fuit, quæ nunc B. Maria de Pilari nuncupatur. Demonstrat itidem Capitulum Metropolitanæ iam dictæ donatam, sibiq; subditam Ecclesiam prædictam ab Episcopo Bernardo, & Capitulo Cathedrali, præfatæ Sedis Apostolicæ accedente consensu, in Collegiatam erectam fuisse anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo; eiq; sic erectæ vnum ex Canonicis Cathedralis Priorem præfuisse, qui Canonicos ipsiusmet Collegiatæ in obseruantia Regulari Sancti Augustini, & erudiret, & contineret. Prosequebatur deinde, vt hæc pars docet, Cathedralis suam Collegiatam honoribus multis, & in gremio suo recipiebat.

Cumq; amb
ę Regulares essent professione, & habitu in processionibus, & choro statutis quibusdam diebus concurrebát, non vt auctoritas Cathedralis, & Matricis propterea nō seruaretur, aut minueretur, sed potius vt mutuæ charitatis inter vtriusque Ecclesiæ Canonicos specimen præberetur, & mutua fraternitas firmaretur. Inimico autem superseminate zizania, postquam Collegiata prædicta sui iuris esse cępit, in Cathedralem Matricem suam insurgens de ordine sedendi, & incedendi alijsq; rebus controuersias suscitauit; quæ per transactiones (vt apparet) sic fuêre composita, vt Collegiata non modo non præcessisse, sed nec æqualitatem cum Cathedrali habuisse, immò semper inferior extitisse, ac ipsi Cathedrali, vtpote Superiori, Matri, & Magistræ reuerentiam præstitisse toto eo tēpore, quo ambæ fuêre Regulares, manifestissimis rationib⁹, & testimonijs cōprobetur. Cùm verò nūc demū Philippo Rege nostro Catholico instantissimè flagitante, Sanctitatis V. prædecessor fœlicis recordationis Clemens Octauus Metropolita-

tanam Ecclesiam prædictam ex Regulari ad Sęcularem statũ reduxerit, viginti & quatuor Canonicis, & duodecim Dignitatibus in eâdem erectis, instituto & habitu à Priore & Canonicis Regularibus dictæ Collegiatæ diuersis, prætendit Capitulum Metropolitanum omnes iam transactiones alterius status expirasse, nec iuxta Sacrorũ Rituũ regulas posse Metropolitanam, & Sęcularẽ Ecclesiam cũ Collegiata, & Regulari cõcurrere, nec mixtim sedere, aut incedere, si ordo Hierarchicus, absq; cõfusione, & perturbatione retineri debet. Collegiata verò manuteneri contendit, ac veluti antè cum Metropolitana concurrere, non attendens mutationem, & reductionem Metropolitanæ ad Sæcularem statum, cum quo hæc incompatibilia sunt. Is est (Pater Beatissime) status huius controuersiæ; ad quam dirimendam omni studio intenti partes ad informandã Synodum vocauimus. Quarum altera, Metropolitana scilicet Ecclesia comparuit, & iura sua libenti animo produxit, & quo ad eius fieri potuit, instantissimè egit, vt à Synodo molesta hęc lis prorsus finiretur; ac nec illius vnquã existimare posset Metropolitanam huiusmodi ob maioritatem insolenter efferri, ipsa priùs supplex à nobis petijt, vt antequam Synodus dimitteretur, prout aptius, & cõmodius iudicaret, controuersiam hãc penitus extingueret, se offerens Synodi iudicio, aut arbitrio libẽtissimè parituram: Collegiata verò Ecclesia tot nominibus Metropolitana inferior nullis vnquam cohortationibus adduci potuit ad dicẽdum coram Synodo de iure suo; immò minori quàm decuit reuerentia, totũ sibi Prouinciale Conciliũ suspectũ habuit, leuibus quibusdam excogitatis prætextibus. Sed nos ob eam, quã Sanctitati V. reuerentiã, & obediẽtiam debemus, noluimus de hac controuersia quidquam iudicare, præsertim scientes causam hanc ad Regis nostri Catholici instantiã à Sanctitate V. aliquibus S.R.E. Cardinalibus fuisse cõmissam. Quia verò nobis exploratissimum est, & cum maximo dolore nostro experimur Ciuitatem Cæsaraugustanam huius rei causa in factiones abire, & prout quisq; affectus est animo, erga vtriusq; Ecclesię Capitula temerè iudicare, & singulos, ipsumq; vulgus ad vana, & superstitiosa præceps huic controuersiæ tribuere difficultatem annonæ, sterilitatem terræ, intemperiem aeris, aliaq; inflicta à Deo nostrorum scelerũ digna supplicia;

nè

nè hoc malũ magis ingrauescat causa diutiùs in discussa manẽte, rẽ totam Sanctitati V. nuntiare decreuimus, eam humiliter supplicãtes, vt graui huic morbo opportunũ & promptũ adhibeat medicamentũ. Contrectatis verò omnibus atq; discussis, illud nobis pro statu rerũ maximè expediẽs visum est, vt præfatæ scilicet Collegiatæ Canonici intra suum se Monasteriũ cõtineant, nec processionibus alijsvè publicis Ecclesiasticis actibus extra Ecclesiam suàm intersint; aut, si interesse oportuerit, mixtim cũ Clero Sæculari non incedant, sed iuxta Sacrorũ Rituũ ordinẽ, & iuris dispositionẽ, prout fel. recordationis Clemẽs Octauus edita sua Constitutione similẽ controuersiã inter duas Ecclesias Ciuitatis Legionensis penitus extinxit. Interim quoq; nostri muneris esse existimauimus notũ facere Sãctitati V. propterea sibi multum arrogare Capitulũ Collegiatæ iã dictæ, quòd à bon. mem. Sixto V. exemptionẽ ab Ordinario obtinuerit eo prętextu, quòd cum esset Canonicorũ Regularium Ordinis S. Augustini cum alijs eiusdem Ordinis Monasterijs Prouinciam constituere posset, vt ad præscriptum Tridentinę Synodi sua haberent Prouincialia Capitula, & in eis Visitatores Prouincię deputarent, quorũ visitationi, & correctioni subessent. At verò Canonici dictæ Collegiatæ, nec Prouinciã hãc constituere curarunt, nec aliud quidquam voluerunt, quam ab Ordinario exẽptos nulli subijci, & quasi Acephalos remanere. Cùm autem à nemine compelli possint ad ea præstanda, quæ Instituti sui Regularis ratio postulat, minusq; ad reddẽdam rationem redditũũ Ecclesiasticorum, quibus abũdant, & eleemosynarum, quæ copiosè à fidelibus erogantur, quomodo, vel in quos hæc vsus impẽdat, fit, vt Ecclesia Collegiata huiusmodi, quæ semper plures alios solita est habere, & cõpetenter alere, nunc Priorem vnũ, & tres tantùm Canonicos habeat in maximum diuini cultus detrimentum; fit etiam, vt voluntarias lites moueant, nullis parcẽtes sumptibus, & licẽter in omnibus nullo vindice agant. Quæ omnia pro nostræ solicitudinis officio Sanctitati V. eo animo considerãda proponimus, vt ex culmine suæ Apostolicæ Dignitatis dispiciat & disponat, quę magis huic negotio videbuntur cõducibilia ad laudem, & honorem Dei, qui Sãctitatem V. Ecclesiæ suæ regimini quàm diutissimè seruet incolumem.